



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis. Consilium CCLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

nè quidem ex similitudine rationis: sed ex adverso concludentius inferitur, id, quod de uno separatorum aut etiam similibus expresse & formaliter constitutum est, de altero negatum videri, l. Cum præter D. de iudic. præsertim dum agitur de poena aliqua privationis inducenda.

Neque insuper ad rem facit, quod posterior Bulla Gregorij decimitertij Papæ utrūque indultū unico contextu confirmavit, & quatenus opus fuerit, de novo concesserit; quia in quantum nihil immutavit, censetur unumquodque in suis terminis antiquis reliquisse, l. Invenimus in fine c. De appellat. juxta illud vulgare, quod relatum semper insit referenti, l. Asserito De hered. instit. Vnde & Placitum Principis sæcularis, quod super hac confirmatoria Bulla Gregoriana supervenit, censeri itidem debet nihil in ista Sixtina Bulla immutasse vel restrinxisse, cum specialiter non contineat neque præscribat, quod nominandus ex Bulla Sixtina debeat vel illud juramentum præstare, vel inscriptionem aliam facere quam Bulla præscribit; sed rem totam relinquit in terminis prioris placiti Carolini, quod restringit & circumscriptum duntaxat usum Bullæ Leoninæ, & minime Bullæ Sixtinæ. Ex quibus omnibus satis deprehenditur juxta M. Simonis in tuto collocatum esse, illudque non tantum apparentius, sed etiam certius esse eo, quod vel D. Matthæus ex alia Apostolica provisione, vel D. Michael ex ordinaria collatione ad hanc Cappellaniam prætererunt: cum illius provisionem præveniret hæc ex nominationis indulto acceptatio, c. Si tibi clerici in fine De præben. lib. 6. hujus verò collationi resistat defectus potestatis, quæ in mense Apostolico ordinario collatori nulla est, c. Si capitulo De concess. præben. lib. 6. Sic quod nobis omnino videatur in hoc possessorio judicio, non tantum per recedentiam, sed plenissime etiam & absolute judicandum secundum conclusionem pro parte dicti Simonis propositam.

De Præbendis.

SUMMARIUM.

- Possessorium inter nominatum ex indulto Facultatis Artium in Academia Lovaniensi, & ordinariam collationem habentem à Turnario. Nominationum indultum an sit per Concilium Tridentinum revocatum? Nominati an acceptare possint beneficia vacantia in mensibus relictis Ordinariis per Concilium Tridentinum.
1. Nominationum indulta sunt ad instar expectativa-rum gratiarum.
 2. Relationis potestas.
 3. 6. 9. Concordatis Nationis Germaniæ an Pontifex derogare possit.
 4. Specialis concessio derogat antecedenti generali.
 5. 7. Concordata Nationis Germaniæ tribuunt ius ad rem, non in re.
 8. Nominandi indulta ob favorem publicum favorabilia & quid mereantur.
 - 10-12. Concordata Nationis Germaniæ an in Ducatibus Brabantie observanda.
 11. Dispositio qualibet regulatur secundum suam causam.
 13. Patronus laicus non facile præiudicat Pontifici.
 14. Patronatus Clericorum Papa facilius derogat.

Conf. Wamels. Tom. I.

15. Præsentationis, non collationis laicus capax.

16. Vsi fructus pluribus alternatis vicibus concessus numerum facit.

17. Monoculana beneficia sub expectativa non contineri.

18. Turnarius collator non suo sed Capituli iure confert.

19. Univerſali locutionis potestas.

20. Clausula decreti irritantis potestas.

CONSILIVM CCLV.

STATVS causa possessoriae beneficalis, quæ acta & peracta est in Amplissimo Concilio Brabantie inter D. Petrum Elch Impetrantem, & D. ac M. Iohannem Willem sacre Theologiæ Licentiatum Opponentem, de & super turbata ac retinenda possessione Canonici & præbendæ in Cathedrali Ecclesia Buscoducensis, qui novissime vacaverunt ex morte D. Guilielmi Peregrini in fine mensis Octobris in anno octuagesimo quarto; non tam consistit in assertionem juris, quod Impetrans ex ordinaria dicti Canonici collatione, quam in oppugnatione juris, quod Opponens ex privilegio seu indulto nominationis Facultatis Artium in Univerſitate Lovaniensi per Sedem Apostolicam concessio prætendit; satis expresse confitendo, infirmum adeoque sine effectu esse titulum, quem ex dicta ordinaria collatione prætendit, si Opponentis contraria intentio fundata in nominationis indulto jure subsistit, aut aliqua ex causa subverti non potest, in quo conatu Advocatus Impetrantis omnes rimas perterritando, nihil ferè prætermisit, quod vel in genere vel in specie ad subversionem dicti indulti aliquo modo spectare aut in medium adferri poterat, licet pleraque non sine magna absurditate.

Inter ea autem ut primum locum obtinet, ita alijs absurdius improbabiliusque est, quod dicto nominationis indulto primum objicitur, quod per Concilium Tridentinum sit revocatum, qua parte decrevit, sess. 24. de reformat. c. 9. mandata de providendo, & gratis, quæ expectativa dicuntur, nemini amplius, etiam collegijs, aut Univerſitatibus, etiam sub nomine indulti concedi nec habentis concessis cuiquam usi litere. Nam improbabilitatem hujus objectionis detegit primum aliud posterius ejusdem Concilij Tridentini decretum, sess. 25. c. 9. vers. & quæ in favorem de reformat. quod peculiarem causam constituit Univerſitatum studiorum generalium. Deinde Gregorij Decimi tertij Pontificis dicti indulti nominandi revocatio, & confirmatio; quæ totis septem annis dicto decreto Concilij Tridentini posterior est, illique ob id censeri debet vel derogasse, l. Non est novum & ibi Gloss. D. de legib. l. Derogatur D. De verb. significat. vel saltem justam interpretationem dedisse. Neque enim verosimile est, hanc sequentem confirmationem Gregorium fecisse aut facere voluisse, si prædicti decreti Conciliaris ea fuisset vel intentio vel potestas, quod etiam indulto harum Nominationum derogare, & futuræ illarum renovationi oblitere voluisset. Tantoque minus debet nunc post talem renovationem & confirmationem in questione vocari dicti indulti vigor & potestas; quod illius usus & exercitium permiserit quoque & comprobaverit per literas sui placiti Regia Catholica Majestas; potissimum in hoc possessorio judicio.

T

dicio,

dicio, in quo de his quæ altiore indaginem requirunt, queri non solet tunc, cum ex instrumentis & titulis in aspectu claris & liquidis nullo vitio visibili laborantibus de intentione partium constare potest, arg. l. ult. c. de edicto d. Adriani vollen. Et mirum sanè, quâ fronte Advocatus Impetrantis hanc quæstionem refricare audeat, post tot sententias non tantum ante, sed etiam post publicata decreta Concilij Tridentini in hoc Amplissimo Concilio secundum indulta nominandi tam dictæ Universitati Lovaniensi per Sixtum Quartum, quam per Leonem Papam Decimum & alios Facultati Artium in eadem Universitate concessa latas: sic quod in tam manifesta Amplissimi Concilij scientia de perdurantibus adhuc huiusmodi nominationum privilegijs, per speciosas in prima apparetia huiusmodi allegationes de illarum revocatione, obrepenti etiam his, qui forte in Concilio adhuc novitij sunt, nulla possit esse Impetrati spes aut probabilitas, neque Opponenti metus vel periculum.

Quod ipsum satis præsentiens idem Impetrans, in ista revocatorum indultorum nominandi allegatione utpote fragili non consistit; sed ulterius prædictam Gregorij Decimij tertij confirmationem agnoscendo in genere, sed in specie convellendo, effectum illius restringere laborat, quasi accipi seu intelligi debeat de facultate nominandi ad vacantia tantum, non etiam ad vacatura beneficia. Sed non minus hæc, quam superior ista absurda est allegatio, cum eam confutet expressus tam Clementis Septimi quam ipsius Gregorij Decimij tertij repetens verborum tenor in indultis Sixti Quarti, & Leonis Decimi his verbis insertus: *Quod post nominationem huiusmodi ipsi Prelatis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, & personis de se faciam, perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, ipseque nominatus infra unius mensis spatium, postquam sibi de huiusmodi beneficii vacatione consulerit, duxerit acceptandum. Quæ proculdubio etiam fuit dictorum Pontificum indubitata mens, & voluntas; sine quâ alioqui inutile plerumque & illusorium redderetur nominationis hoc indultum, si illius usus in raticulo nominationis ad vacantia tantum beneficia esset restrictus; propter Ordinariorum Collatorum præventiones, qui mox ut vacarent beneficia, jure suo in conferendo utentes illa conferrent, ut nominationes has eluderent. Vnde etiam est, quod per clausulam decreti irritantis in horum indultorum concessione & confirmatorijs literis insertam, manus Ordinariorum ligari dicantur ex die factæ nominationis, cap. Si eotempore de elect. lib. 6. c. penult. de præben. lib. 6. Clem. 1. De concess. præben. cap. Si postquam De præben. lib. 6. ut non possint de postea vacaturis beneficijs ad ipsorum ordinariam collationem spectantibus intra mensis spatium cuiquam providere. † Est enim hoc genus indulti seu provisionis de numero gratiarum expectatarum, quæ nedum non ad vacantia, sed etiam vel maxime ad vacatura solent concedi: ideoque & insinuari & publicari jubent, radinstar altarum gratiarum expectatarum: ut habent expresse dictarum litterarum verba. Nescio an Advocato Impetrantis imposuerint in executoria Bulla Leonis Decimi posita, & in lite-*

ris cõfirmationis Gregorij Decimi tertij repetita hæc verba, *De beneficio seu officio vacante sibi providendi facere*; quæ non ad nominationem ipsam seu actum nominandi referri debent, sed ad acceptationem, quam vigore nominationis etiam ad futura factæ fieri contingeret; ut quamvis nominatio ad vacatura, acceptatio tamen non nisi de vacante recte fieri posset, ut expresso jure decusum est, c. Ne captanda De concess. præben. lib. 6. Quâ in parte Opponens non aberravit acceptando hunc, de quo agitur, Canonicatum quarto die post illius vacationem: quo eodem die tamquam vacans Impetranti quoque per Turnarium Canonicum (licet inutilliter & nullo jure) collatus fuit.

Vana igitur & hac in parte est Impetrantis adversus dictam Gregorij Decimi tertij confirmationem impugnatio. Vnde transitum facie ad aliam, ex præsidio Concordatorum per Sedem Apostolicam Nationi Germanicæ concessorum, per quæ sibi persuadet restrictionem esse dictorum indultorum nominandi usum, ut non possint vigore illorum acceptari beneficia in mensibus Ordinariorum Collatorum vacantia, in illis locis, ubi huiusmodi Concordata locum habent, propter eorundem Concordatorum expressa verba derogantia quibuscumque reservationibus Apostolicis seu gratijs expressivè quodam beneficio in alternatis huiusmodi Ordinariorum Collatorum mensibus vacantia: quibus Concordatis Nationis Germanicæ per dicta nominandi indulta derogatum non esse, at nec derogari potuisse exillimat idem Impetrans. Verum & hac in parte sibi contrariam habet notorium dictorum indultorum nominandi usum, & secundum illa in hoc Amplissimo Concilio latas sententias pro nominatis super beneficijs vacantibus periinde in mensibus Ordinariorum ut in Apostolicis acceptatis. Nec mirum: quippe primum illud indultum Sixti quarti (quo nominandi facultas dictæ Universitati Lovaniensi concessa fuit) continet expressam, formalem, & individualem dictorum Concordatorum Nationis Alemannie seu Germaniæ atque adiectis ei provincijs & diocæsis, eorumque Episcopis, Prelatis, Capitulis, Conventibus, Collegijs & personis concessorum, derogationem. * Quæ derogatio tametsi paribus seu iisdem formalibus verbis facta individuali expressione Concordatorum Nominationis Alimaniæ non conspiciatur repetita in sequente Bulla Leonis; neque in confirmatorijs literis Clementis septimi, & Gregorij Decimi tertij: virtualiter tamen & per implicativam relationem, seu extensionem in iisdem continetur, & non obscure deprehenditur: primum per hoc, quod in Bulla Leonina hæc verba continentur: *Litteras & facultates Sixti prædecessoris nostri cum inhibitione decreti depurationis, Executorum, ac omnibus & singulis alijs in eis contentis clausulis ad hoc extendimus & ampliamus.* Deinde per hoc, quod paulo post in extremo illius sine subijciantur alia eodè & quidem apertius tendentia hæc verba: *specialiter & expresse derogamus omnibus illis, quæ idem Sixtus prædecessor in dictis suis litteris voluit non obsistere.* Cui similis est & respondet tertiæ clausula, quæ literis confirmatorijs Adriani Sexti & Cle-

& Clementis Septimi inserta est his verbis: Nec non omnibus illis, quæ Sixtus & Leo prædecessores nostri in dictis eorum literis voluerunt non obstat. Quod etiam tendit quartò clausula literis renovatorijs & confirmatorijs Gregorij decimiterij inserta sub hoc verborum tenore: Nec non singulorum literarum prædictarum tenores præsentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prædicta privilegia quemadmodum per præfatos prædecessores nostros concessa & confirmata fuerunt, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, cautelis, decretis, derogationibus, præservationibus, ac prout illa concernunt omnia & singula in eis contenta & prout iacent dicta auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, eamque suos effectus sortiri volumus, & quatenus apud sit de novo concedimus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjuvamus, ac ea omnia valida & effectiva esse suosque plenarios & integros effectus sortiri, & ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter, ac ut ita contra illa quoribus quæsto colore vel ingenio venire nequam possint, ut præferatur, ad illorum observantiam teneri, & ad illam sub Ecclesiasticis sententijs, censuris & poenis cogi & compelli possit declaramus. Cum enim virtus relationis in eo consistat, quod relatum censetur inesse referenti cum omnibus suis qualitatibus & conditionibus. *l. affe. i. c. ibi Bart. de hered. inst. Domin. Geminian. conf. 6. in casu prædicto*; perinde haberi debent hæc priorum literarum Apostolicarum in sequentibus factæ relationes, ac si expressè & velut in individuo in ijs contineretur Concordatorum Alemanniæ derogatio tam formaliter expressa in prima Bulla Sixti quarti. Sic quod de voluntate dictorum Pontificum nulla possit esse dubitatio; quin scilicet per dictas suas Bullas voluerint successivè derogare, & re ipsa etiam derogaverint prædictis Concordatis Nationis Germaniæ.

De potestate porò quin summi Pontifices sic potuerint dictis Concordatis ob bonum publicum & favorem studiorum derogare, iusta non videtur occasio dubitandi, tamen nonnulli velint de ea dubitare & controvertere. Nam imprimis postulat eam summa & absoluta potestas, quæ in Pontifice residet de rebus, & præsertim beneficijs atque officijs Ecclesiasticis disponendi: sic ut in his plenariæ dispositionis habeat facultatem, *Clement. ult. in fine Vi. lre pend. c. 2. De præben. lib. 6.* Deinde probat eam factum proprium Sixti quarti Papæ, quo in indulto nominandi Academia Lovaniensi concessio expressim ipsam Concordatis derogavit, in verb. & Nationi Alemanniæ. Tum & tertio elicitur illa ex communi stylo, quo passim derogare solent Pontifices ipsam Concordatis in facultatibus nominandi, quas novo Imperatori concedunt ad beneficia Ecclesiastica, quæ vulgò Preces Imperiales dicuntur: quæ derogatione non uterentur, nisi scirent ei locum esse & acceptari posse beneficia etiam in alternativis Ordinariorum Collatorum mensibus. Denique & quartò probat eam duplex ratio juris communis, prior quidem, quod Papa nunquam ita à se soleat abdicare & alteri concedere potestatem, quin maiorem semper retineat, c. dudum de præben. lib. 6. † altera verò quod per secundam seu sequentem specialem concessionem plerumque

Conf. Wamels. Tom. I.

tollatur prima antecedens generalis, c. 1. de re scriptis. etiam si in specie derogante nulla mentio facta sit de genere, c. dudum vers. nec attendentes De præben. lib. 6. præsertim quando prima generalis concessio idem continet quod jus commune, *Hosienf. Ioan. Andr. & alij in d. c. 1. ut contingit in hoc antecedente Concordatorum Nationis Germanicæ Apostolico indulto*, quatenus per illud videri potest Ordinarijs Collatoribus non tam de novo concessum, quam ab antiquo competens restitutum seu potius relictum jus conferendi Ecclesiastica beneficia, c. Statutum De præben. lib. 6. & ibi glos. in V. numerandum vers. item per hanc reditur ad ius commune, *Gauzel Cas. sud. decis. 1. nu. 2. de pactis*. † Quod minorem habet dubitationem ex eo, quod per dicta Concordata nihil juris in re, sed dumtaxat ad rem quæsitum sit, ut eleganter & late respondit Philip. Decius, *conf. 147. Pro tenui facultate num. 4.*

† Si igitur sic per sequens speciale privilegium etiam tacite censetur derogatum antecedenti generali; nulla potest esse dubitatio, quin multo magis per Papam expressè illi derogari potuerit per quæcumque verba derogatoria etiam generaliter, licet non specialiter & in individuo prolata ab eo, qui derogandi facultatem habuit: ut aequè eleganter distinguendo tradidit Phil. Francus, in cap. 1. De excess. prælati lib. 6. *fred. de Senf. conf. 47. Habita super casu, Alex. and. conf. 243. per speciem tam verbis vol. 6. Cassad. decis. 4. de privileg.* Et sane fuisse summis Pontificibus eam voluntatem ac potestatem probatur adhuc Minde ex duobus: primò, ex declaratione illa Gregorij decimiterij Papæ, quam in anno 1576. emisit, tempus trimestre in prædictis Concordatis Germanicæ Nationis præscriptum providendi de beneficijs in mensibus Sedis Apostolicæ reservatis vacantibus, extendendo ad sex menses ipsa Natione Germanica inconsulta, extat Bulla in summa constitutionum *perri Marti ai quem septimum decretalium inscriptis*. Secundo, ex literis Principis Placiti seu concordatorum, quæ super usu privilegij nominationum Facultatis Artium emanarunt, quatenus permittunt collatores semel gravari, nisi ius habeant in omnibus mensibus conferendi; tunc enim patitur eos nedum semel sed singulis decem annis gravari, in clausula, *que un nomine emertu desides Bulles &c.* quod evidens est argumentum in usu alternativarum collationum Ordinarios etiam in suis mensibus per acceptationem nominati gravari posse. Neque hanc derogandi potestatem impedit ea consideratio, quam nonnulli movent, quasi ista cum dicta Natione Alemanniæ per Sedem Apostolicam inita Concordata vim pacti & contractus habeant tam ex conditione paciscentium, quam natura & voce concordie; ideoque artibus etiam ipsum Pontificem obligent, ut invitâ alterâ parte cum qua contraxit, non possit ab ijs, recedere aut ea revocare; ut generaliter Papa & Princeps legibus contractus soluti non sunt, sed obstricti manent, c. 1. & ibi Dec. De probat. l. digna vox C. De legib. Domin. Geminian. d. conf. 56. nu. 1. Alex. conf. 1. n. 11. vol. 2.

Idque in proposito tanto magis, quod dictis

T t 2

Concor-

Concordatis etiam adjecta inveniantur fortissima clausula derogatoria ad sequentia quaecumque privilegia vel concordata; quibus peculiariter cautum est, quod revocari non possint nisi de consensu dictae Nationis; ut in simili de Concordatis inter sedem Apostolicam & Regem Franciae sub dicto Leone decimo initis late tractavit & decidit Petrus Rebuffus, *ad Concord. in praefat. ad rubr. de collat. vers. insuper quaro, & in tract. de nominat. q. ult. nu. 21.* Nam diligenter expendendo verba dictorum Concordatorum aperte deprehenditur, Pontifici non esse praescriptam omnem potestatem revocandi huiusmodi concordata, aut illis derogandi; sed praescriptus in effectum duntaxat est modus & forma, quibus illorum revocatio vel derogatio fieri possit. Sic quoddam aliquatenus retentam revocationis seu derogationis potestate, facilis & proclivis sit progressus ad ipsas ex emergente peculiari causa & certa ac indubitata voluntate revocare aut derogare volentis, ut paulo ante ex Philippi Franci traditione, in d. c. 1. *De excess. Praelat. lib. 6. Alex. d. conf. 243.* diximus. Ut est in proposito, in quo dictis Concordatis ex causa studij generalis non est duntaxat derogatum tacite per posteriorem seu sequentem concessionem dictorum indultorum nominandi (quod regulariter in derogatione privilegiorum sufficeret, c. 1. *De rescript. c. Dudum vers. nos igitur attendentes de praben. lib. 6.*) sed formaliter, expresse, & in individuo: quae derogatio ob id debet effectum sortiri, *Philipp. Decius conf. 10. Viso puncto, & conf. 373. Viso consilio nu. 9.*

De quo iterum minus hic dubitandum ex supradicta consideratione, quod dicta Concordata non tribuant ius in re, sed ad rem tantum; & sic contineant non ius quaesitum, sed quaerendum de futuro: cui Princeps, *Decius d. conf. 147. nu. 4. Doct. in c. Super eo De off. deleg. imo etiam privatus facilius derogare potest, l. Quotis C. de rei vindic. Bart. & alij in l. Qui roma §. clarus De verbor. oblig.* Cujus derogationis potestas & probabilitas in hac re inde etiam major sit & certior, quod per illam non abrogentur vel prorsus tollantur dicta Concordata (quod aliquando minus in nutu seu potestate Papae esse videri potest) sed impediuntur tantum semel aut bis in vita Ordinarii cujusque Collatoris; & quoad collationes Collegiorum, Conventuum, Capitulorum & similium coporum in vicennio vel decennio semel duntaxat sit & permittatur nominationis usus; * quod equidem intolerabile aut durum videri non debet, potissimum propter favorem, quem merentur huiusmodi nominandi indulta, concessa ad promotionem studiorum, studiosorumque, in quibus evidens & publica consistit utilitas, *Auth. Habita C. Ne sit pro parte, Paulus Paris. conf. 140. Inspecus indultu vol. 4. Bart. in l. 1. C. de stud. liber. urb. roma. lib. 10.* ob quam Papae & Principi etiam a pactis & contractibus praesertim cum suis subditis initis aliquantulum recedere, illisque derogare facile permittitur, *Doct. in c. In nostra De minor. marian. Sencin. conf. 4. Super questione nu. 10. vol. 3. Alex. conf. 16. In causa & lite nu. 30. vol. 5. & conf. 101. Visis instrumentis nu. 7. vol. 1.* eoque magis & facilius, quod haec indulta nominandi non sint concessa prin-

cipaliter ceteris personis, sed toti Universitati studiorum, *cap. fin. De rescript. lib. 6.*

Quae tam formalis, & per individua ex-9 pressione facta dictorum Concordatorum derogatio, extra omnem dubitationem alio quoque respectu posita censeri debet, per hoc, quod ut ipsum indultum Sixti Quarti ad instantiam Maximiliani Imperatoris & Philippi Archiducis Austriae ejus filij; ita sequentia Leonis Decimi, & Adriani Sexti ad intercessionem Caroli quinti Imperatoris, & novissime confirmatio Gregorij Decimi tertij per Regiam Catholicam Maiestatem sunt a sede Apostolica postulata & impetrata; ideoque ut propter auctoritatem & praeminentiam impetrantium maiorem habent firmitatem, ut difficilior revocari possint, & in generali revocatione non censeantur contineri, c. Ne aliqui, *De privileg. lib. 6. c. fin. De off. & potest. ind. deleg. lib. 6. Eleganter Paulus Paris. conf. 141. Ad solutionem nu. 21. vol. 4.* ita quoque in illis dictorum Concordatorum aliorumque obstantium expressa & comprehensa derogatio seu revocatio, favorabilior reputari debet, & maioris ponderis ad infringendam vel saltem aliquatenus minuendam vim, & effectum dictorum praecedentium Concordatorum. Et quidem eo magis, quod dicta Concordata sint facta cum Frederico secundo Imperatore dicti Maximiliani Patre, & Caroli quinti Proavo, ad ipsius Nationis Germanicae utilitatem: cui utilitati liberum fuit postea ipsius Frederici haeredibus & successoribus in Imperio & haereditate tacite vel expresse renuntiare, & consequenter per novum & peculiarem consensum a dictis Concordatis recedere, vel de illis aliquid retinere, aut pati illis saltem ex aliqua parte ad ipsum intercessionem & petitionem per summum Pontificem detrahi & derogari, *l. fin. c. De pact. v. n. in d. c. In nostra, Socii. d. nu. 1.* & sic illa constringi per nominandi indulta ob commune bonum & publicam utilitatem; quae proculdubio ea in parte preponderat causa, ob quam per sedem Apostolicam dictae Nationi Alemaniae ista Concordata gratiose concessa fuerint. Ut in simili tradit Petrus Rebuffus, *in tract. nominat. quest. ult. nu. 21. de Concordatis inter sedem Apostolicam & Franciscum Regem Franciae suo & Regni sui nominibus super Collationibus beneficiorum initis;* dicens illa revocari, ipsique ex communi voluntate Papae & Regis derogari posse. Sic quod in proposito propter concurrentem dictorum Imperatorum spontaneum consensum & petitionem, & Papae concessionem, nulla iusta sit dubitatio, quin ut derogari potuit, ita quoque per tam expressa verba dictorum indultorum derogatum sit dictis Concordatis; † in istis maxime partibus seu regionibus, quae eorundem Imperatorum temporali hereditariaeque superioritati magis, quam Imperio Alemanicae seu Germanicae Nationis subiectae sunt (ut notorie est Ducatus Brabantiae, & quae illi inclusa est, Civitas Buscoducensis) in quibus dictorum Concordatorum usus perinde non est nec usurpari potest; eo quod iam pridem non tantum extra fines, sed etiam penes extra omnes Imperij Germanici

manici & Nationis Alemanice superioritate & jurisdictionem (quod palam & notorium) esse coperint, illisque ob id nunc dictorum Concordatorum verba, & per consequens illorum dispositio, accommodari non debeant nec possint, l. 4. §. toties & ibi Bart. de damno infecto l. Quid constitutum De milit. testam. quantumvis indicia seu vestigia eorum aliqua videantur esse ex usu & observatione alternativorum mensium, quibus in nonnullis Ecclesijs dicti Ducatus Brabantie etiamnum gaudent & utuntur Ordinarij Collatores in collationibus beneficiorum ecclesiasticorum. Cum igitur Civitas Buscoducensis, prout & totus Ducatus Brabantie, notorie nunc sit extra fines Nationis Alemanice seu Germanice, nec in ijs cognoscatur amplius aliqua dicti Imperij superioritas vel subiectio (idque si non ab omni ævo, saltem tolerantia & dissimulatione ejusdem Imperij, vel ex comitijs Imperialibus, ut plerique asserunt) nulla est concludens ratio per quam dicta Concordata Alemanice Nationi concessa collatoribus beneficiorum in illis sitorum accommodari debeant.

Quod evidenter etiamprehenditur ex propria Impetrantis allegatione & confessione, quæ pro se opposuit in ipsa civitate Buscoducensi ex defectu superioritatis & subjectionis locum non esse Imperialibus precibus, per quas summus Pontifex solet novo Imperatori Nationis Alemanice concedere facultatem nominandi ad beneficia Ecclesiastica unam personam singulis Collatoribus beneficiorum per totam Alemaniam seu Germaniam, quatenus sub Imperio sunt, Philippus Franc. & alij in c. 15. cui De praben. lib. 6. Id enim evidens est indicium & argumentum, civitatem Buscoducensem, & in ea residentes beneficiorum Collatores nec dictæ Nationi Alemanice seu Germanice, nec illius Imperio subiectos esse; ideoque nec Imperij privilegio frui, nec ex illis onus, aut gravamen pati posse: quia intra suos fines tam activè, quam passivè convenit concludi omnia vel singularibus personis seu certo hominum generi, vel certæ Universitati, Regno, seu Nationi concessa privilegia; quæ etiam non admittunt ex paritate vel majoritate rationis ad alios quoscumque aliquam extensionem: ut enim non juvant, ita nec obstringunt, nisi hos, pro quibus fuerunt concessa, l. 2. vers. nec generalis c. De legib. l. 1. De consuet. Prime in fin. c. Sanæ c. Ex ore De privileg. Quæcumque interim censeri possit dictorum Concordatorum conditio & potestas, hoc verum & extra omnem dubitationem manet, vel quod illis derogatum sit per indulta hæc nominandi, vel quod ad Collatores Buscoducenses transferri seu extendi non debeant, etiam si olim Diocesi Leodiensi aliquando subiecti fuerint, & Diocesi Leodiensi olim concessa privilegia illis salva manerant, etiam post dismembrationem ab illa per erectionem novi Episcopatus Buscoducensis & translationem ad eandem, c. Ad Apostolatus De concess. praben. in extravag. Ioan. 22. Oldrad. consil. 167. Quod Dominus Episcopus in princ. Neque verò Diocesi Leodiensi concessa sunt dicta Concordata, sed Imperio & Nationi Alemanice seu Germanice; unde quæ parte Diocesis Leodiensis non subijciuntur.

Conf. Wamel. Tom. I.

tur dicto Imperio aut Nationi, puta quatenus ante hanc dismembrationem eadem Diocesis complectebatur loca temporali jurisdictioni Ducatus Brabantie subiecta; eadem seu eatenus dicta Concordata, ut nec olim antè, ita multò minus post istam dismembrationem locum aut vires aliquas habere possunt.

Quæ iterum in parte Impetranti nihil suffragari possunt Maximiliani, & Caroli V. Imperatorum duo diplomata; quibus specialiter mandata sunt exacta observatio dictorum Concordatorum per Diocesim respectivè Cameracensem & Leodiensem etiam adversus nominationum indulta. Nam ex ipso tenore verborum dictorum diplomatum satis apertè constare videtur, huiusmodi mandata Imperialia restricta esse ad partem eam dictarum Diocesum, quæ Germanico Imperio subiecta est; & minime ad alia loca Diocesibus quidem prædictis, sed non temporali jurisdictioni sacri Imperij subiecta. Id enim non obscure postulare videntur hæc verba, Necnon alijs quibuscumque etiam Principibus sacri Imperij subditis in dicta Diocesi constitutis. Item hæc, in gravissimum nostrum, sacri Imperij, & Nationis Germanice præiudicium. Et denique illud, quod præfati Imperatores declararint se ea mandata facere pro debito Imperiali officij; cuius ut nulla necessitas, ita quoque nulla voluntas neque potestas fuit in regionibus dicto sacro Imperio minime subiectis: ut proinde quod ab ipsis tamquam Imperatoribus mandatum fuit Imperiali auctoritate, extendi non debeat ad eos, qui eidem potestati & auctoritati subditi non fuerunt, propter peculiarem & restrictiorem qualitatem, quam assumpserunt & usi fuerunt in mandando prædictam Concordatorum observationem, arg. c. Cum capella de privileg. Nicol. Everar. Præfates in loco de tamquam seu de respectu. Ex qua eadem consideratione commodè quoque avertitur declaratio Iulij Tertij Papæ, quam Impetrans allegavit quidem, sed non satis probavit. Nam etsi per eam, uti obtenditur, declaratur sub dictis Concordatis comprehendi Civitatem & Diocesim Leodiensem: latius tamen non extenditur nec patere potest, quam ipsamet Concordata & illorum tenor patet; hoc est, non ultra, quam in illis patet superioritas Imperij & Nationis Germanice seu Alemanice; quod cum dici non possit de regionibus & locis positis extra dicti Imperij & Nationis superioritatem; consequens est nec per istam Iulij Tertij, multò minus per Clementis Septimi antecedentem declarationem, Civitatem Buscoducensem, & in ea constitutos Ecclesiasticorum beneficiorum Collatores tamquam dicto Imperio, aut Nationi minime subditos, comprehensos esse sub dictis Concordatis, utpotè constitutos qualitate in iisdem Concordatis tam formaliter requisita, d. l. 4. §. toties de damno infecto. quælibet enim dispositio regulatur secundum suam causam, quæ illam vel ampliat vel restringit, l. Adigere §. quamvis De in re patron. l. Cancellaverat de his quæ in testam. delent. l. Cum quaritur De except. rei iudic. ut limitata causa limitatum producit effectum, l. In agris de acq. rer. dom. d. l. Cancellaverat & talia debent esse subiecta, qualia sunt

Tr 3

ac per-

ac permittunt prædicata, *Gloss. ad verb. nequivis-*
sent in c. inter dilectos De fide instrum. & gl. fin. in c.
12. nudum De decimis. Quamvis interim de lite-
 ris originalibus assertarum huiusmodi declara-
 tionum vel extracto illarum authentico, quæ à
 Clemente Septimo & Iulio Tertio Pontificibus
 emanasse dicuntur, hæcenus nil apparuerit; idco-
 que ex defectu iustæ & sufficientis probatio-
 nis nihil momenti habere debeant, nec in con-
 siderationem venire. Quippe quæ de ijs per
 Impetrantem exhibita sunt exempla, vel nudæ
 sunt copiæ, vel non rectè secundum juris for-
 mam exemplata; hoc est ex præcedente man-
 dato competentis iudicis, parte adversa ad
 exemplationem seu authenticationem faciendam,
 prout juris dispositio requirit, *cap. ult. De fide in-*
strum. Odofred. in l. 2. nu. 2. v. De fide instrum. Decius
cons. 36. pro tenui facultate Car. Molin. ad consuet.
Paris. §. 5. nu. 33. cum seq. vocatâ.

Quæ cum ita se habent, parum momenti
 pro Impetrante constitutendam in extractis ex
 Registris Actorum Capitularium Ecclesiæ Bul-
 coducensis per Impetrantem exhibitis; quate-
 nus per illa demonstrare nititur, dictorum Con-
 cordatorum usum in eadem Ecclesia à multis
 retropræteritis annis viguisse, & observatum fu-
 isse. Nam dicta extracta nihil aliud concluden-
 ter convincunt, quàm quod Decanus & Capi-
 tulum Ecclesiæ Bulcoducensis, quantum potue-
 runt, conati semper fuerint Nominationes
 Universitatis Lovaniensis & Facultatis Artium
 in eadem, quoties illæ eis insinuate fuerunt, sic
 restringere, ut effectum non fortirentur, nisi in
 beneficijs vacantibus in mensibus Apostolicis,
 prætextu dictorum Concordatorum. Sed eorum
 ista contradictio & protestationibus in con-
 trarium factis non obstantibus, qui per quatuor
 aut quinque novissimè retropræterita decennia
 secundum dictarum Nominationum Bullas ad
 ipsorum Collationem nominati fuerunt, sine
 discrimine inter menses Apostolicos, & ordi-
 narios acceperunt beneficia etiam in mensi-
 bus Ordinariorum vacantia; quos deinde etiam
 iidem Decanus & Capitulum, non obstante
 Turnarij Ordinarij collatione, ad possessionem
 admiserunt & receperunt. Quemadmodum usu
 venit in nominationibus Magistri Arnoldi
 Genck in anno 1543. item in nominatione M. Pet-
 ri Brachelij de anno 1553. item in nominatione
 M. Balhazaris Bont de anno 1563. item M. Ioan-
 nis Metzij de anno 1573. & novissimè in no-
 minatione hujus causæ Opponentis factæ anno
 1583. Et quamvis non constet M. Balhazarem
 Bont accepisse in mense ordinario; imò præ-
 supposito etiam, quod accepisset beneficium
 vacans in mense Apostolico, non potest tamen
 dici id contigisse ex defectu juris & potestatis,
 sed ex contingentia facti, offerente se scilicet
 vacatione in mense Apostolico; in quo etiam ex
 Impetrantis propria confessione dictarum nomi-
 nationum usus indubitatus est. Cum aliqui di-
 cto M. Balhazari ea in parte obliterit propria
 renuntiatio, & promissio, quod non acceptaret
 in mense ordinario; quod utique ad se solum, non
 etiam ad dictum indultum nominandi, aut alios

nominandos quoquo modo constringendos refer-
 ri debet; quisque enim suo privilegio & juri renun-
 tiare potest, *l. si quis in conscribendo C. De pact. l. Qua-*
ritur §. si venditor De edil. edicto, non etiam suo facto
alterius conditionem deteriore facere, l. Non
debet alteri Dereg. iur. l. De pupillo §. si plurium
de novi oper. nuntiat. Sic quod pro parte Impe-
 trantis nullo modo sit probatus pacificus usus,
 aut quasi possessio dictorum Concordatorum,
 sed ex adverso in hoc Amplissimo Concilio an-
 tiquissimum sit multisque Arestis comprobatum,
 dictarum nominationum usum & frequentem &
 indubitatum fuisse, etiam in mensibus Ordina-
 riorum, quoad beneficia potissimùm sita sub pa-
 trimonio Regiæ Catholiciæ Maiestatis in Duce-
 cessi Leodienhi; ut est in oppidis Traiectensi ad
 Mosam, Thenensi, Nivelensi, dominio de
 Ruten, & plerisque alijs: ut nulla sit causa,
 cur Ecclesia Bulcoducensis ea in parte debeat esse
 tantò melioris conditionis.

Hoc itaque præsidio ex dictis concordatis tam-
 quam debili & infirmo deslitutus Impetrans,
 ex ipso Nominationis indulto Opponentis jus
 & titulum subvertere nititur. Ex eo primùm,
 quod per literas Placiti tam Caroli Quinti Im-
 peratoris, quàm Regiæ Catholiciæ Maiestatis
 usus dictarum Nominationum sit restrictus; ut
 ex illo acceptari non possint beneficia, quæ sunt
 de jure patronatus suæ Maiestatis, aut suorum
 vasallorum. Sed nimis frigida, imò frivola est
 & hæc allegatio. Convincitur enim & subver-
 titur ex ipsis dicti Placiti verbis, quibus diserte
 excipiuntur beneficia & officia pertinentia ad
 Nominationem & jus Patronatus Regiæ Ma-
 jestatis, vel alicujus ipsius vasallorum aut sub-
 ditorum secularium seu laicorum: eaque in par-
 te sunt ipsæ literæ Placiti planè conformes su-
 prædictis indultis tam Sixti Quarti, quàm Leo-
 nis Decimi, Adriani Sexti, & Gregorij Deci-
 miterrij, permittentibus facultatem nominandi
 singulis Prælati, Capitulis, Conventibus, Col-
 legijs, & Personis Ecclesiasticis utriusque sexus
 secularibus, & regularibus: ut quæ satis de-
 prehenditur permittum non e. e.; ut nomina-
 tio fiat laici personis, vel jus Patronatus
 laicum habentibus, *l. cum prætor D. de iudic.*
l. Maritus C. de procurat. l. Quod ipsum aliqui
non minus dici posset, etiam si tam formaliter, &
restrictè non fuisset facta mentio personarum
Ecclesiasticarum; ubi id, quod Papa non censetur
in dubio velle præiudicare juri patronatus lai-
corum, nisi utendo supremâ & absoluteiore po-
testate id exprimat, Gloss. & Dd in cap. Cum dilectus
De iure patron. Lapus alleg. 105. Beneficia vacantia,
& gl. Bellamera decis. 652. l. qualis expressio
non est necessaria, ut censetur derogatum iuri
patronatus, competentis clericis seu Ecclesiasticis
personis, Stephanus Bertran. cons. 193. Venera-
bilis vir nu. 1. vol. 7. super quibus ut ma-
ior est Pontifici potestas, ita quoque in
gravando illas, proclivior voluntas; ideoque
nisi illorum beneficia patronata specialiter ex-
ciptantur, censentur in dubio etiam conti-
neri sub gratijs Papalibus; sub quibus ex
adverso non intelligantur comprehendendi bene-
ficia

ficia iuris patronatus laici, nisi specialiter expriman-
t; ideoque gratie expectativæ censentur
continere tacitam conditionem, si beneficia non
sint iuris patronatus laici, *Philip. Decius conf. 126.*
In causa Domini Francisci nu. 4. Rebuff. in tract. nomi-
nat. quest. 15. nu. 2. & seq. perinde ex privilegio,
prescriptione, vel consuetudine, ut ex fundatione
aut dotatione, Gualter. Cassador. decis. 4. de iure
patron. etiam si intentissimis, & latissime paten-
tibus verbis literæ expectativæ dirigantur ad
quoscunque seu ad cuiuscunque dispositionem,
in d. etiam si ad cuiuscunque presentationem,
Felin. in tract. quando literæ Apostolica no. pat. eccles.
laicæ Cesar Lambert. in tract. de iure patron. lib. 2. p. 3.
quest. 9. art. 3. & quique seq. Est enim præ-
sensatio propria sit patroni maxime laici, quia
tamen perinde ad ecclesiasticum ut laicum perti-
nere potest, ad ecclesiasticum non etiam laici præ-
sensationem indeterminata huiusmodi pronuntiatio
restringenda erit, Felin. d. tract. nu. 3. Ceterum hæc
clara iuris dispositio dicto Impetranti nihil pro-
dest, ob id, quod Capitulum Buseoducense, cuiusque
Turnarii Canonici ad Canoniatum & beneficia
in eorum Ecclesia habeant plenum ius collationis,
& dispositionis ordinariæ; & minime restrictum
ius presentationis ex aliquo iure patronatus. Id
quod apertissime deprehenditur ex literis Apo-
stolicis Ioannis vicissimæ secundæ, qui Ecclesiam
Buseoducensem ex parochiali in Collegiatam
erigendo, expressè voluit & ordinavit, quod
Canoniatum & præbendam, quos primò in eadem
Ecclesia vacare contingeret, collatio & provisio
pro prima vice pertineret ad Decanum & Capitu-
lum; quodque ad alios Canoniatum & præ-
bendam ex tunc immediatè vacantes Dux Bra-
bantiæ pro tempore existens personam idoneam
dictis Decano & Capitulo præsentare valeret; &
quod sic de alijs postea vacantibus Canoniatibus
& præbendis vicibus alternatis fieri deberet. Ita
quod inde manifestè appareat quoad Decanum
& Capitulum, prædictos Canoniatum & præ-
bendam, esse in statu libere collationis (ut inquit
Decius d. conf. 126. in princ.) & minime in statu
iuris patronatus. Prout etiam per extracta, quæ
Impetrans exhibuit, constat, dictos Decanum &
Capitulum non tantum cum Capitulariter, sed
etiam cum per suum Turnarium iure suo in
provisionibus horum beneficiorum uli fuerunt, id
fecisse iure ordinariæ collationis & provisionis, &
minime ex aliquo iure patronatus vel per modum
aut formam presentationis. Neque verò ex eo
quod sic in ista transformatione Duci Brabantie
formale laicum ius patronatus, seu præsentatio-
nis alternatis vicibus attributum & reservatum
est, idem quoque censi debet attributum Deca-
no, & Capitulo: nam ratione subiecti ut ius va-
riat, ita quoque pro cuiusque qualitate & capaci-
tate aliud Decano & Capitulo, aliud Duci Bra-
bantiæ concessum videri debet. Et Decano
quidem cum suo Capitulo ius liberæ collationis
cum plenitudine iuris canonici, quia illius capaces
sunt: Duci verò restrictus ius patronatus ad effe-
ctum solius presentationis; cuius, non etiam libe-
ræ & plenæ collationis seu dispositionis, capax est
laicus, c. Præterea c. Illud c. Cum laici de iure patron.

Conf. Wamef. Tom. I.

c. Si per ordinationem 63. dist. 1. Verum quidem est
ius patronatus, quod laicis & clericis communiter
& conjunctim competit, quoad effectum derogationis
censeri magis laicum, quam Ecclesiasticum,
Roche de Carre in tract. de iure patron. in verb. ius q.
7. & seq. Cravet. conf. 63. Primum dubium nu. 6.
conf. 68. Propositum nu. 4. vol. 1. Cesar Lambert. d. lib.
2. p. 3. q. 9. art. 9 sed id rei popositæ applicari
non potest: ob id, quod non conjunctim neque
communiter Duci & Capitulo sit reservata seu
attributa potestas conferendi, aut disponendi, sed
disiunctim & per alternatas vices: ita ut non una,
sed plures sint reservationes pluribus personis
*disiunctim ascriptæ seu attributæ. * Ad exem-*
plum penè uls tractus, qui pluribus personis al-
ternis annis vel legatur vel constituitur; qui non
unus idemque, sed numero plures sunt usufructus,
l. Cum usufructus alternis annis D. de usufructu
leg. & invicem non communicantur, sed in
cuiusque persona singuli per se considerantur, l.
Quoties dubus D. De usufructu; ut nec inter il-
los iuri accrescendi locus sit, quia nulla ratione
conjuncti, sed omnino separati sunt, Gloss. in d. l.
Quoties in verb. alternis. Per se igitur stat ius patro-
natus Ducis, nec communionem ullam habet cum
iure collationis Decani & Capituli. Et quidem eo
discrimine, quod per quamcunque reservatam seu
expectativam gratiam Papalem non censetur
derogatum iuri patronatus; censetur verò déro-
gatum iuri collationis, quod Decanus & Capitu-
lum, non ex fundatione aut dotatione, sed ex me-
ra liberalitate Pontificia habent; ideoque facilius
illi etiam per Legatum Pontificis derogari possit,
etiam tacite & per rerum consequentias, Alex. conf.
74. Viso puncto nu. 27. vol. 4. Decius conf. 117. Pro-
positum nu. 3. Roche de iure patron. q. 7. Cravet. d. conf.
63. & 68. De qua derogatione & derogandi vo-
luntate in proposito nulla superesse potest dubita-
tio; ex eo, quod per dicta indulta specialiter gra-
ventur etiam hi Ecclesiastici, quibus beneficiorum
Ecclesiasticorum sola etiam præsentatio competit,
quæ propriè pertinent ad actum patroni, non ad
canonicè instituentem, nec ad illum, qui benefi-
cium cum plenitudine iuris confert, cap. Ea nos-
citur & ibi Panor. in 2. notab. De his quæ sunt à
Prælatu.

Nihil itaque Impetranti in hoc articulo
suffragari potest, quod tam operose allegavit,
& multis exemplis prolatis amplificavit de di-
ctorum Decani & Capituli actuali possessione, seu
quali conferendi beneficia in mensibus ordinarijs
alternatis: nam illam agnoscit quoque Opponens,
& pro fundamento suæ nominationis, quo in hac
causa nititur, assumit; quod scilicet propter tam
altè patentem eorum potestatem conferendi tam
multa beneficia iure ordinariæ collationis, me-
rito per sedis Apostolicæ hæc nominationis in-
dulta gravari possint singulis decennijs semel;
sive respectus habeatur ad indultum Sixti Quar-
ti, ex quo nominatio fieri potest ad eos, qui plu-
ra quam sex beneficia conferre habent; sive ad
Indultum Leonis Decimi, quo per nominationes
gravari possunt, qui beneficiorum vel officiorum Eccle-
siasticorum dispositionem qualemcunque habent.

Per quæ verba de habentibus dispositionem

T t 4

etiam 17

etiam qualemcumque beneficiorum vel officiorum, remouetur alia Impetrantis impugnatio, quam novissimo loco facit aduersus hanc Opponentis nominationem, quod scilicet illa fieri non potuerit in præiudicium Turnarij, ad quem putat unci huius Canonicatus controversi dispositionem, seu collationem dumtaxat pertinuisse, ideoque sub nominatione Impetrantis illum comprehensum non fuisse; ut generaliter traditur, monocularia beneficia non cadere sub generalibus, & indeterminatis gratijs expectatis, *Gl. in verb. in certa in Clem. 1. de prabend. Dom. Gemm. conf. 36. Quod collatio facta, Steph. Bertran. consil. 194. Concessum est vol. 3. parte*

18 2. * Probabilius magisque colorate obijci poterat, ideo hunc Canonicatum cadere non potuisse sub dicta Opponentis nominatione, quod illa fuerit directa non Domino Petro Delpinia Canonico Turnario, ex cuius collatione Impetrans ius suum prætendit; sed Decano & Capitulo Buseoducensi, ad quos huius litigiosi Canonicatus collatio non pertinet, sed ad præfatum Turnarium, qui per dictam nominationem Opponentis in specie gravatus non est; qui licet sub præfacto Capitulo sit, Turni tamen consideratio facere videtur, ut suo speciali, non generali Capituli iure censi debeat, ideoque vigore nominationis, Decano & Capitulo coniunctim directæ, acceptari non poterit beneficium, quod non invenitur pertinere ad coniunctam Decani & Capituli, sed dicti Turnarij soli, collationem, *cap. ult. de prabend. lib. 6. Rota decis. 111. alias est 4. de concess. praben. in antiq. Bald. conf. 242. Factum tale vol. 3. Sed utrumque æquè improbabiler & sine ullo iuris colore, duabus ex causis: Prior est, quod in hoc articulo quodad eos, quibus nominationes fieri possunt, indultum Nominationis ex Bulla Leonina Facultati Artium concessa (de quo hic agitur) latius pateat quàm indultum ex Bulla Sixtina Universitati concessum: quippe comprehendit omnes omnino Collatores qualemcumque beneficiorum dispositionem habentes; & sic perinde eos, qui unum, aut alterum dumtaxat, ut qui plura beneficia conferre habent.*

19 1. Id enim importat vis & potestas universalis huius dictionis *Qualicumque*, ut non tantum referatur ad qualitatem dispositionis, sed etiam ad beneficiorum numerum. Hæc enim universalis distributiva dictio prægnans est, & omnia omnino complectitur, etiam eos casus, qui alioqui sine tam effuso sermone non continerentur, *cap. Solite de maior & obed. Iason. conf. 55. præsens questio post princ. & conf. 124. Viso testamento nu. 4. vol. 4. Steph. Bertran. conf. 129. Viso & ponderato 27. 15. vol. 8. Ut non sit dubium, quin Leo Papa 24 in parte intenderit plus concedere Facultati Artium, & omnia repetitione restrictionis, de habentibus disponere plusquam de sex beneficijs tam formaliter posita in Bulla Sixtina, voluerit ab ea recedere, eaque in parte indultum suum Facultati Artium amplificare: quæ interpretatio omnino accipienda est in hoc indulto tam gratuito & favorabili, in favorem & remunerationem studiorum, & ob utilitatem pub-*

licam concessio, *e. fm. de rescript. lib. 6.* Altera eaque evidentior & ceterior ratio est, quod hæc nominationem & illa effectum metiri non oporteat ex persona ipsius Turnarij, seu hebdomadarij, sed ex personis Decani, & Capituli totius cūmenim Turnarius non suo proprio, sed totius Capituli iure vel nomine collationis vices exerceat, non tam Turnarius quàm Capitulum totum per ministerium sui Turnarij conferre censetur; & ex ratione antecedentis non tam ad Turnarium, quàm ad Capitulum collatio spectare & exerceri intelligitur: ita quod virtute nominationis factæ Decano & Capitulo sine ulla hesitatione acceptari possit beneficium, quod cessante nominatione Turnarius seu hebdomadarius nomine & ex capite Capituli alicui conferre posset; sic quod sub expectativa gratia ad Decanum & Capitulum indubiè etiam continetur Turnarius, qui Capitulum repræsentat & vices illius sustinet. De quo extat aperta, & indubitata Bonifacij Octavi constitutio, *in c. fm. de praben. lib. 6. & Rotæ Romanæ ad illam confirmata decisio, Rota decis. 119. nota quod ubi aliquis est Impetrans, quæ est 4. sub tit. concess. praben. in antiq. Gemman. in d. c. ult. nu. 7. & ibi Philipp. Franc. Ut proinde in proposito non cadat consideratio solivagi & monocularis beneficii, siue (uti non oportet) respiciatur ad dictos Decanum & Capitulum, qui plurimorum beneficiorum collationem habent, ut constat ex propria Impetrantis allegatione & exhibitis per eum extractis; siue ad Turnarium, ad quem eodem penè numero pertinent eadem beneficia, saltem in potentia, si durante ejus turno illorum plurium vacatio occurreret, ut acutè & exactè per Dominum Advocatum causæ id animad-*

versum & suggestum est

Quoniam igitur nihil soliditatis deprehenditur in obiectionibus & impugnationibus Impetrantis aduersus Opponentis nominationem, sed per illam ac per clausulam *Inter intimam* dicto nominandi indulto insertam, præfati Turnarij, ut & dictorum Decani & Capituli manus fuerunt ligatæ, illosque etiam ignorantes constrinxit, *c. si postquam de prabend. lib. 6. panor. in c. dilecto de praben. Lud. Rom. conf. 330. circa primum nu. 12. non potest dicti Turnarij collatio Impetranti facta aliquo modo subsistere, aut Impetranti coloratum titulum ad hunc litigiosum Canonicatum attribuere, c. si beneficia, d. c. si postquam de prab. lib. 6. Ioann. Bari. Ferret. conf. 15. pro favore; sine quo colorato titulo Ecclesiastici beneficii nulla potest esse possessio, c. 1. de reg. iur. lib. 6. & per consequens nullum iudicium possessorium; & nequidem redintegranda, multo minus retinenda possessio ex illa competere potest, Guido Papa decis. 71. & 83. Marian. Socm. conf. 67. Eadem dicitur nu. 9. vol. 3. de iuss. ad consil. Regis de claus. benef. poss. l. 1. in princ. parte 3. Hinc omnibus maturè excussis & discussis evidenter apparet Impetrantis intentionem nullo modo in hac causa contra Opponentem fundatam esse; ideoque Opponentem ab illius impetitione absolvendum, & ultra hæc abolitionis ex duplicato per Opponentem interdicto eundem*

eundem Opponentem manutenendum adversus Impetrantem in hoc Canonico ex tam liquido, claro, & indubitato jure dictæ nominationis; in expensis litis eodem Impetrante condemnato.

De Præbendis.

S V M M A R I V M.

Possessorium inter nominatum ex indulto Facultatis Artium in Universitate Lovanienſi, & habentem ab ordinario collationem.

1. Possessio in Ecclesiasticis cui decernenda & cuius natura.
2. Titulus coloratus sufficit in possessorij beneficalibus.
3. Clericatura necessaria beneficium acquirere volenti.
4. Instrumentis publicis subscriptio necessaria.
5. Clericatura literæ requirunt subscriptionem.
6. Subscriptio & subſignatio, quo loco poni debeant.
7. Clericatura non præſumitur.
8. Clericaturam conferens de quibus inquirere debeat.
9. Clericatura ab alio quam proprio diocæsano collata an valeat.
10. Clericatus character an ab aliter diocæsano Episcopo imprimatur?
11. Nullitas maxima quæ ex defectu potestatis.
12. Domicilij ratione an alicui conferri possit clericatura.
13. Fidem accommodare in beneficalibus non licet.
14. Collatio in præiudicium reservationis Papalis nulla est.
15. Clausula decreti irritantis vis.
16. Collatio notorie nulla nullum dat titulum.
17. Noſtrum dicitur quod commune cum alio habemus.
18. Originarius quis dicatur.
19. Valor quo modo attendatur in beneficalibus.
20. Actus ab initio licitus potest sacre transſum ad actum illicitum.
21. Possessorium beneficalium sem marium est.
22. Absentia quantæ requiratur, ut scholasticus privilegium suum amittat.
23. Medium ab extremis præſumitur.
24. Certificatio quando & quantum probet.

CONSILIVM CCLVI.

IN causa possessoria, quæ in Amplissimo Concilio Brabantie instituta est nomine M. Engelberti Wameſij Artium Magistri & V. I. Licentiatum Impetrantis, contra Matthæum Backenbusch Opponentem, de & super Canonico & præbenda S. Servatii Traiectensis novissime per obitum M. Iosephi Musch vacantis, longè apparentius & evidentius ad stabilendam, retinendamque possessionem jus habet præfatus M. Engelbertus: quem ob id etiam per Amplissimi Concilij sententiam in huiusmodi possessione, adversus dictum Matthæum retinendum manutenendumque nos infraſcripti arbitramur. * Etenim in Ecclesiasticis beneficij possessoria causa, ei audjudicanda est possessio, & is in possessione manutenendus, qui apparentiora habet iura, *Doff. in l. fin. C. de edito D. Hadr. tollen.* Quamvis autem initium huius demonstrationis fieri posset à deductione notorij defectus iuris in præfato Matthæo; cum possessio in beneficijs Ecclesiasticis mixtæ naturæ sit, & absque titulo induci, aut concludi non possit,

*Rota decis. 55. alias est 2. ad instantiam illius, ut litem pend. & decis. 14. alias est 2. suis dubitatum utrum de restit. spoliat. in novis: quo tamen clarior expeditiorque decisio causa flet pro præfato M. Engelberto, conversâ rotâ ius & titulus, quo idem M. Engelbertus huius Canonici ac præbende possessionem per legitimam & consuetam installationem adeptus est, Innocen. in c. In literis nr. 7. De restit. spol. Ioan. Bapt. Ferrer. cons. 14. Tangendo nr. 1. ob oculos ponemus, ac stabiliemus. Et quidem de potestate ac viribus Bullæ Apostolicæ per Impetrantem exhibitæ, quæ permittit Facultati Artium Alimæ Universitatis Lovanienſis facultatem nominandi ad collationes quorumcumque Collatorum in Diocesi Leodienſi, alijsque vicinis existentium nihil hic ambigendum est; cum propter auctoritatem atque potestatem sedis Apostolicæ; tum propter illius ulum speciali concessione ac Placito Cæsareæ Majestatis permittum; ac denique etiam propter res in hoc Amplissimo Concilio secundum eandem Bullam paucis abhinc annis frequentius iudicatas. Cuius Bullæ vigore & auctoritate M. Engelbertus tonsuratus clericus Diocesis Leodienſis, in Artibus promotus & birredatus, de Concilio dictæ Facultatis Artium existens, & ob eminentiam doctrinæ ad docendum Logicam & Physicam Aristotelis assumptus, sexta Martij anno 1559, ad collationes Reverendi D. Præpositi S. Servatii Oppidi Traiectensis per deputatos in dicta Bulla, præcedente solemnî & registrato iuramento, quod in bonis octuaginta ducatos de camera annuatim non haberet, ritè ac legitime nominatus, huiusmodi suam nominationem secundum tenorem literarum dicti Placiti super usu prædictæ Bullæ concessi, per suum ad hoc legitime constitutum Procuratorem, intra tempus per literas dicti Placiti præscriptum, videlicet 16. ejusdem mensis Martij, intimavit & insinuavit; & subsecutâ deinde vacatione prædictorum Canonici & præbendæ in mense Aprilis anno 1560, vigore dictæ Nominationis decima octava ejusdem mensis Aprilis, & sic intra mensem in literis prædicti Placiti præscriptum acceptavit; ac de eodem per Reverendum in Christo Patrem D. Abbatem S. Gertrudis Lovanienſis sibi provideri curavit; obtentâ altera die sequente legitima & solemnî in possessionem dictorum Canonici & præbendæ per installationem iurumque requisitorum solutionem inductione; factâ quoque huiusmodi gratiæ, acceptationis, provisionis, ac obtentæ possessionis ad valvas dictæ Ecclesiæ Sancti Servatii publicatione, & secundum dicti Placiti tenorem vicesima secunda die ejusdem mensis Aprilis prædictarum acceptationis & provisionis apud Registrum Notarij dictæ Facultatis Artium insinuatione ac registratione. Sic quod neque ex interna dictæ Bullæ, neque ex externa prædicti Placiti forma, in hoc, quem præfatus M. Engelbertus virtute dictæ Nominationis, in contentioso Canonico, & præbenda prætendit titulo, nihil omnino desideretur: ideoque non tantum coloratum, qui in possessorij causis beneficiorum ecclesiasticorum sufficere debet, *Rota decis. 439. alias est 21. Si agenti possessorio de rest. spol. in novis, Rebuffus ad consis. Reg. tit. de caus. benef.**